[illegible]

[illegible]

Baden.

Zweyter Abschnitt.

Uebersicht des Mineralienreichs

I. Erdige Fossilien.

1) Edelsteine.

A Edelharte Steine

a Demant b Rubin c
c Hyacint d Smarag
Beril od. Aquamar
f. Granat. g. Topa
h. Krisolith. i. Diop
k. Schmirl

B Gemeinharte Steine

a Bergkrystal. b. b
c. Rosenquarz. d Gem
Quarz. e. Feuer
f Chalzedon. g. P
h. Jaspint. i. Lab
k Glas als Stein
Obsidian. m Per
Turmalinel.

C. Halbharte Steine

a Edler Opal b
c Pechstein. d Lu
e. Natrolith

b

POSITIONES
EX ALTERA
THEOLOGIAE DOGMATICAE
PARTE
QUAS ANNUENTE
ADMODVM REVERENDO CLARISSI-
MO AC SPECTABILI DOMINO
DECANO
AC
VNIVERSITATIS
PRORECTORE
IOAN. BAPT. FINSIGER
AA.LL. Philoſophiae ac SS. Theologiae
Doctore Eccleſiae Cathedralis Petinenſis Ca-
nonico & Hiſtoriae Eccleſiaſticae Profeſ-
ſore Caeſareo Regio, P. O.
EX PRAELECTIONIBVS
ACADEMICIS
REVERENDISSIMI AC CLARISSIMI
DOMINI
ANT. ANGEŁŁOWICZ
Canonici Cathedralis Leopolienſis Ri-
tus Graeco-Catholici Caeſ. Regii
Conſiliarii, et Theologiae Dogma-
ticae Profeſſoris publ.
IN PALATIO VNIVERSITATIS
PVBLICE PROPVGNANDAS SVSCEPIT
REVERENDVS AC DOCTISSIMVS
DOMINVS
CHRISTOPHORVS MANUGIEWICZ
Seminarii generalis Ritus Latini pro parte
Archidioeceſeos Leopolienſis Ritus Ar-
meni Alumnus
Anno M. DCC. LXXXV. Die Aprilis hora

PERILLUSTRI
REVERENDISSIMO DOMINO,
DOMINO
IOSEPHO SIMEONI
KRZYSZTOFOWICZ
PROTHONOTARIO
APOSTOLICO
PRAEPOSITO
AC
DECANO MOHYLOVIENSI,
DOMINO
AC
PATRONO MEO
GRATIOSISSIMO.

PERILLVSTRIS
AC
REVERENDISSIME DOMINE
PATRONE
GRATIOSISSIME!

Cum iam pridem intima cura, ac sollicitudo me non mediocriter stimularet, ut quo meliori modo, desiderio meo publicam TIBI *exhibendi obseruantiam, satisfacerem: nulla magis congrua ratio id praestandi mihi visa est, quam si Theses has Theologico-Dogmaticas* ILLVSTRI TVO NOMINI *inscriberem.*

Ad id tot ac tanta a TE *Reuerendissime Domine in negotiis Religionis pro Reipublicae Christianae salute praestita, et porro praestanda laborum consiliorumque merita, ad id singularis* TUA *in me beneuolentia, ad id ingens illa multitudo ac magnitudo beneficiorum, quae mihi liberalissime contulisti, quaeue ego inde a tenera aetate constanter sum expertus, et porro experiri*

confido, non poterant, non magnopere me incitare. Quis enim praestantiam beneficii cuiuspiam tam plene ac plane nouit nisi qui illud confert et is cui confertur? Iam notum mihi TIBIque Reuerendissime Domine atque perspectum est, quantum pro me praestiteris et quanta adhucdum praestes. Etenim me vix teneros egressum annos iam in scholis publicis literis humanioribus institui paterna cum sollicitudine procurabas, nihil laboribus expensis nihil parcens omnibus meis necessitatibus quam liberalissime subueniebas, neque hic operi quod ceperas, omni laudis genere dignissimo limites posuisti, verum ut Philosophiae, et cum iam intellexisses animum meum esse amplectendi statum Sacerdotalem, etiam studiis Theologicis eo quo

par est modo optimo operam nauarem, nullum non mouisti lapidem vt mihi patefaceres aditum ad Collegium Pontificium, nunquam tamen aliis atque aliis me prosequi fauoribus intermittebas, quoniam vero ita ferente temporum occasione obstacula quaedam sese offerrent, ne integrum studiorum meorum curriculum in praefato collegio absoluerem, nihil intentatum reliquisti vt Seminarii Generalis neo-erecti Alumnis adnumerari me videres, ibique scientiis Religioni nostrae non mediocrem vtilitatem adferentibus erudirer, verbo quod in statu praesenti reperiar TVAE *curae ac protectioni singulari debeo. Iam pro tot ac tantis gratiarum mihi a* TE *Reuerendissime Domine collatarum euidentissimis documen-*

tis non aliud grati animi specimen in praesens exhibere valeo quam rogando praecibus assiduis D. Æ V M T. O. M. *vt* TE *quam diutissime sospitem ac incolumem mihi graegique* TVAE *curae comisso seruet.*

REVERENDISSIMAE DOMINATIONIS TVAE

Nepos, ac Cultor studiosissimus
Christophorus Manugiewicz.

POSITIONES
EX
ALTERA THEOLOGIAE
DOGMATICAE PARTE.

1. Messiam lege promissum jam aduenisse clarissime ostendunt non pauca oracula vti Iacobi Gen. XLIX. v. 10. Danielis IX. v. 22. Haggaei II. v. 8. Malachiae III. v. 1., tum status praesens exilii, ac dispersionis Iudaeorum ac gentium abiectis idolis suis, ad unum verumque Deum conuersio.

2. Hunc autem Messiam esse IESVM Nazarenum ex characteribus, quos de Messia sacri vates annunciarunt, in eo adimpletis res est omnino explorata. Flauii Iosephi de IESV Nazareno insigne testimonium velut genuinum et authenticum agnoscimus.

3. Porro cum promissus Liberator Christus IESVS a sacris vatibus praenunciatus esset futurus Deus simul et homo; hinc percipimus aeterni Patris aeternum Filium naturam humanam copulasse sibi ac propria terminasse subsistentia, qua

in unione, quam hypostaticam nuncupamus, Incarnationis consistit mysterium quod ex Capite 1., Euangelii S. Ioannis clarissime demonstratur. Neque istud repugnantiam inuoluit, sed potius admanifestanda Diuina attributa videtur nobis longe oportunum.

4. Quam Dei Filius assumpsit carnem. illa vera ac propria fuit, non apparens ac umbratilis, quemadmodum non paucis visum erat; nec eam e cœlis attulit, aut e superioribus elementis sibi efformauit, sed de purissimis MARIAE Matris suae visceribus accepit. Animam quoque humanam habuit, et humanis innoxiis affectibus verisque doloribus obnoxius fuit.

5. Quam ob rem duae sunt in Christo agnoscendae inconfusae ac impermixtae naturae; duae proinde voluntates ac operationes praedicandae. At vnica tantum in Christo admitti debet persona vnusque Filius. Qua de causa Mariam Salvatoris nostri matrem asserimus vocandam esse Deiparam. Cui nec perpetuus defuit virginitatis honor.

6. At enim cum praecipuus Incarnationis finis humani generis liberatio fuerit; hinc Christus sponsor ac mediator noster factus poenas peccatis nostris debitas sustinuit, solutoque pretio nos redemit. Quod eo vel maxime tempore persolvit, dum factus Sacerdos ac victima semetipsum in Cruce aeterno Patri pro nobis obtulit, huius autem sacrificii virtute expiata fuere delicta nostra, nosque fuimus Deo reconciliati.

7. Huic Saluatoris mediationi Sanctorum in Coelis cum Christo regnantium intercessio, vel inuocatio non officit, nec honor ac cultus, quem ipsis exhibemus idololatriam sapit; hunc enim quem duliae cultum vocamus, a latreutico, qui soli Deo debetur quam maxime distare sancte profitemur. Eorum etiam reliquiis ac sacris imagini-

ginibus venerationem, quae ad prototypa tendat licite exhiberi, nullum est dubium.

8. Verum Christus Dominus non Redemptoris tantum, sed et Legislatoris partes egit, vnde abrogata, vt praenunciauerunt Prophetae Lege veteri, in eius locum longe nobiliorem dedit ac praestantiorem, quae lex noua ac Euangelica dicitur. Hanc siue in praeceptis moralibus consideremus siue in ceremonialibus, siue in iis quae ad fidem pertinent, praestantissimam esse ac DEI institutionem vndequaque spirare manifestum est.

9. Imperium non minus fundauit sacrum, quod Apostolis tradidit et praesertim Petro; cui iurisdictionem in caeteros dedit, vnde honoris et iurisdictionis primatu insignitum eum esse iudicamus. Ex huius porro fine eundem a Petro ad successores pertransire debuisse apparet, Romanos autem Pontifices esse qui hac ipsa Primatûs gloria praefulgeant perpetua Ecclesiae traditione edocemur.

10. Cum externa sacrificia ab ipso mundi exordio viguisse sacri libri nos doceant, fuerintque plura a DEO in Mosaica lege praescripta; iis iam, vt vmbrae erant, et figurae eorum, quae in noua lege euenire debebant, abrogatis nouum Saluator in Eucharistia Sacrificium instituit. Hoc Sacrificium est etiam propitiatorium, nec crucis Sacrificio vel minimum derogat, nec istud Sanctis sed soli DEO affertur.

11. At Beneficentissimus Redemptor noster non exemplo tantum ac lege, quid agere debeamus ostendit, verum etiam passione ac morte sua cuncta spiritualia bona nobis promeruit, porro cum magna in lapsis hominibus deprauatio adsit, nec ad assequendum aeternae beatitudinis finem naturae vires sufficiant; gratia sua quae medicinalis dici solet, suffultos eos voluit. Quae ad operis cuiusque salutaris non perfectionem modo sed initium quoque, tum ad fidem ipsosque primos

piae credulitatis affectus est necessaria, finalis quoque perseuerantia singulare prorsus DEI donum est,

12. Haec gratia omnino gratuita est, atque vt docet Paulus: *si autem gratia iam non ex operibus alioquin gratia iam non est gratia.* Efficaciam autem suam a consensu voluntatis non repetit neque ex attemperatione auxiliorum quae subsit scientiae mediae sed ab intrinseco et natura sua est efficax. Quanquam vero hanc conciliare cum libero arbitrio arduum sit; nihilominus sub quacunque efficacissima gratia manet semper integra arbitrii libertas. Praeter hanc efficacem gratiam admitti debet inefficax, quae etiam sufficiens dicitur, cui liberum arbitrium vitio suo resistit haec vero iustis volentibus et conantibus seruare diuina praecepta praesto semper adest. Praedestinatio ad gloriam omnino gratuita est.

13. Verum DEVS actuali gratiae mentem nostram illustranti ac mouenti voluntatem ad bonum, alia praesidia addidit, quibus vberrima Christi merita nobis applicarentur, ac partam a Salvatore salutem adipisceremur; Adiumenta haec sunt nouae legis Sacramenta, quae nec plura esse nec pauciora quam septem praescriptio et Ecclesiarum omnium consensus demonstrat.

14. Haec inter Sacramenta primum tenet locum Baptismus, cuius tanta est dignitas et efficacia, vt hominibus singulis sit necessarius ad salutem consequendam necessitate medii signum habet sensibile solam aquam naturalem, verba quae aquam consecrant et ad spiritualem effectum producendum ex Diuina institutione eleuant sunt *Ego te baptizo etc. vel baptizatur seruus DEI etc.* Minister Ordinarius sacerdos est primi et secundi ordinis extra-ordinarius Diaconus. Validus est a laico et faemina imo et gentili et Iudaeo secundum Christi institutionem collatus Infantes etiam debent baptizari.

15.

15. Confirmationem, qua ſacro fonte regenitis confertur robur ſpiritus, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipſam vbique intrepide profitendam verum eſſe novae legis Sacramentum aſſ[i]rmus. Huius ordinarius Miniſter Epiſcopus eſt, extraordinarius ſimplex etiam ſacerdos.

16. Eucharistiae res duplex eſt panis triticeus vel azymus vel fermentatus, tum vinum cui ex Ecc eſiae praecepto aquae nonnihil admiſceri debet. Eius Miniſter eſt Sacerdos, in hoc autem Sacramento verum Chriſti corpus verusque Sanguis continetur, vera etiam ac mirabilis ibi habetur totius ſubſtantiae panis et vini in ſubſtantiam corporis et ſanguinis Chriſti conuerſio. Nullum exſtat praeceptum de Euchariſtia laicis ſub vtraqne ſpecie diſtribuenda.

17. Poenitentia eſt verum, ac proprium nouae legis Sacramentum a Baptiſmo prorſus diſtinctum, atque hominibus lapſis ad obtinendam ſalutem omnino neceſſarium, cuius tanta eſt virtus, vt nullum ſit tam graue facinus, quod ab Eccleſia remitti nequeat. Confeſſionem ex poteſtate ligandi et ſoluendi, retinendi et remittendi peccata quam Chriſtus Eccleſiae contulit, recte inferimus iuris eſſe Diuini. Poenas non minus ſatisfactorias imponere debet Sacerdos. ad ſatisfaciendum DEO redimendasque temporales poenas. Eſt tamen in Eccleſia poteſtas elargiendi indulgentias. Eae vero ab omni ſatisfactionis onere fideles non ſubleuant.

18. Ordinem, quo ſacri condecorantur miniſtri verum eſſe nouae legis Sacramentum defendimus. Eius ſenſibile ſignum impoſitionem manuum eſſe dicimus. Miniſtri autem Epiſcopi ſunt. Iudicamus etiam valere factas ordinationes ab Epiſcopis ſchiſmaticis haereticis, ſimoniacis et intruſis.

19. Extremam Vnctionem Sacramentis nouae legis accensemus, nec eius integritati detrahitur siue ab vno, siue a pluribus sacerdotibus administretur.

20. Matrimonium a Christo ad Sacramenti dignitatem fuisse euectum ex constanti praesertim Ecclesiae traditione euincimus. Vinculum eius adeo arctum est, vt neque per alterius coniugis adulterium dissoluatur.

21. Horum autem omnium Sacramentorum immediatus autor est Christus, a quo solo meritum habent ac virtutem suam. Quam ob rem ea tantae sunt efficaciae, vt iis qui obicem non ponunt gratiam conferant ex opere operato. Verba etiam quibus signum sensibile ad effectum supernaturalem producendum eleuatur, non concionis sunt, sed consecrationis, quo fit vt neque fides neque probitas ministri ad Sacramenti valorem sit necessaria. Tria quoque Sacramenta Baptismus nempe Confirmatio et ordo indelebilem quandam consecrationem et notam animae imprimunt, quam Caracterem vocamus.

22. Ex actualis gratiae donis, atque ex Sacramentis noui foederis gratiam habitualem ac sanctificantem acquirimus, quae in cordibus nostris per Spiritum S. diffunditur nobisque inhaeret, ex inimicis nos reddens DEI amicos atque secundum spem regni coelestis haeredes. Porro ad sanctificationem nostram fides quidem disponit, sed sola non sufficit, neque iustificatio peragitur externa imputatione Iustitiae Christi, nec sola absoluitur extrinseca peccatorum remissione, sed delet peccata nostra ac mundos iustosqne nos efficit. Nemo de iustificatione sua sine peculiari reuelatione certus est. Iustitia ac Gratia sanctificans potest rursus amitti. Adultis opera bona necessaria sunt ad salutem.

23. Praestantissimis hisce quae Christus instituit, salutis acquirendae mediis per peccata obex

po-

ponitur, quorum asserere DEVM esse Auctorem diuinis attributis manifeste repugnat. Neque omnia peccata aequalia sunt sed praeter ea quae mortem animae inferunt, dantur et alia, quae ex se et independenter a misericordia DEI venialia sunt.

24. Cum lex moriendi pro omnibus in poenam peccati lata sit, ac animae maneant post mortem superstites, DEVSque iustus sit Iudex, hinc in aditu aeternitatis particulare iudicium pro quolibet institutum est, atque mox praemiis aut suppliciis animae afficiuntur. Iustorum animae quibus nihil luendum superest, sine dilatione ad gloriam mittuntur. Infantes sine baptismo mortui aliqua sensus poena etsi in comparatione adultorum futura haec sit mitissima punientur. Atque cum ex hac vita decedant plures qui siue leuibus culpis adhuc inquinati sunt, siue pro grauibus iam remissis commeritam temporalem poenam minime luerunt, cum in Coelorum Regnum nihil quod coinquinatum sit ac immundum ingredi queat, locus esse debet, vbi puniantur ac purgentur illorum animae, quae ad coelestem beatitudinem nondum idoneae inueniuntur; locum hunc vocamus Purgatorium.

25. In fine autem mundi futura est vniuersalis resurrrctio corporum, adueniet tunc temporis Christus Dominus gloria et maiestate conspicuus ad vniuersale iudicium vt cuique reddat iuxta opera sua. Negamus omnino beatos corpore reassumptos per annos mille cum Christo regnaturos in terris siue illud Regnum in carnis voluptatibus constituatur, siue spiritus deliciis affluens dicatur.

26. Qui a Christo Domino ad vitam coelestem vocabuntur beati, DEVM intuitiue adiuti lumine gloriae videbunt, non tamen comprehendent, summo etiam in eum amore ferrentur, at-

que ex parte corporis nec morti nec caeteris molestiis erunt obnoxii. Haec vero beatitas pro meritorum diuersitate gradus habebit. Alii vero qui grauibus foedati peccatis e vita discessere poenis omni fine cariturís plectentur.

O. A. M. D. G. B. V. M.

HONOREM.

DIS-



1. Quarzsteine. Kiesel erdige
2. Thonigesteine.
3. Kalkartige Steine brausen
4. Talkigen Steine
5. Schwererdige Steine.

in brennbaren,
Salzige
erdige. [illegible]

Salzige
Metalle
Brennbare und
Erdige +

Edelsteine sind solche die in [illegible] [illegible] Quarzsteine [illegible] und Glanz und [illegible] [illegible] schneiden.
Die Quarzsteine [illegible] kein [illegible] [illegible] schneiden.

[illegible] Schörl